

Olof Hermelin ... Welingius

Oratio Ad Serenissimum ac Potentissimum Regem Poloniae Stanislavm I. qua Eidem de inita nuper pace gratulabantur missi à Sacra Regia Majestate Sueciae Illustrissimi & Exellentissimi ... & Illustrissimi Domini Olai Hermelini, Sacrae Regiae Majestatis Sueciae Status Secretarii Responsio Ad Illustrissimos ac Excellentissimos Legatos Sacrae Regiae Majestatis Poloniae cum illorum è numero Dominus Pro Cancellarius Comes Szczuka ob conciliatam Pacem Sacrae Regiae Majestati Sueciae gratias ageret Alt-Ranstadæ die 17. Novembris MDCCVI.

[Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], [1706?]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880573309>

Druck Freier  Zugang





F. II. 1018^{1-48.}
Jc



13

ORATIO

Ad Serenissimum ac Potentissimum

Regem Poloniae

STANISLAVM I.

qua Eidem de inita nuper pace gratulabantur

missi à Sacra Regia Majestate Sueciae

Illustrissimi & Excellentissimi,

Senator Regius Dominus

COMES WELINGIVS,

& Dominus Secretarius Status

OLAVS HERMELINVS

Lesnicæ d. 21. Nov. MDCCVI.

&

Illustrissimi Domini

OLAI HERMELINI,

Sacrae Regiae Majestatis Sueciae Status Secretarii

RESPONSIO

Ad Illustrissimos ac Excellentissimos

Legatos Sacrae Regiae Majestatis Poloniae cum illo-

rum è numero Dominus Pro-Cancellarius

COMES SZCZUKA

ob conciliatam Pacem Sacrae Regiae Majestati

Sueciae gratias ageret Alt-Ranstadæ

die 17. Novembris MDCCVI.

ORATIO

STANISLAVI

COUS VIVIVS

OLAVI

YAPPO

COMES

ORATIO

Ad Serenissimum ac Potentissimum Regem Poloniae STANISLAUM Primum quaEidem de inita nuper pace gratulabantur missi a Sacra RegiaMajestate Sueciae illustrissimi & Excellentissimi, Senator Regius Dominus Comes Welingius, & Dominus Secretarius Status Olaus Hermelinus Lesnicæ Die 21. Novembris Anno Domini MDCCVI.



I veræ amicitiaë ea sit indoles, ut uni Amicorum nullam rem conferre possitFortuna, quin partem illius in alterum simul transfundat; oportet eam necessitudinem sublimiori gradu esse positam, quam res secundæ & adversæ ita conglutinant, ut unius Salus absque alterius incolumitate consistere nequeat. Hanc in illa amicitia, quæ Majestati Vestræ cum Sacra Regia Majestate Domino nostro Clementissimo intercedit, esse perfectionem & nos lati deprehendimus, & totus Orbis cum stupore agnoscit. Testata nuper est Majestas Vestra per Illustrissimos Legatos Suos, quan-

quantum, ob conciliatam cum Serenissimo Rege ac Electore Saxonie pacem, Sacrae Regiae Majestati tribuat: Illa autem jucundam hanc pacem non haberet, nisi gaudium inde proveniturum cum Majestate Vestra ex aequo partiri posset.

Hac causa est, quare nos mitteret ad Majestatem Vestram, interpretetes istius laetitiae, quam ex mutua illa felicitate conceperat Rem enim confectam habemus, quam multi longe difficillimam judicaverant, plures ne fieri quidem posse affirmaverant. Et profecto ex vulgari prudentia opus hoc reputantibus ignoscendum est, si victam si desperatam causam appellaverant, cujus exitum sagacitas humana praevidere non potuisset. Qui immensas hostium Copias numerabant, qui validam Adversariorum factionem & laceratam in partem Rempublicam Poloniam intuebantur, qui denique invidiam Principem considerabant, contrarias partes occulte foventium, aut aperte sublevantium, nae illi iudicium aliud ferre non potuerant. Videbant ex victoriis, quas armis Sacrae Regiae Majestatis stupendas Deus concesserat, crescere pertinaciam hostis: Ex cladibus provenire opulentiam, & quoties accisa putabantur hostium vires, tanquam ex hydra Lernaea recentes repullulare copias.

Sed tanto gloriosior hac Pax censenda est, quando pluribus implicita videbatur difficultatibus: Et quando uberio-rem Regnis Sueciae ac Poloniae fructum affert atque utilitatem. Illis autem, qui eam longe adhuc remotam crediderunt, ingentem incutit admirationem, quod pacificationem prius absolutam audiverint, quam inceptam esse fama vulgaverat. Quis vero non agnoscit Divinae benignitate opus esse perpetratum, quod humanas superare videbatur vires. Est profecto Supremum Numen, quod fata Populorum gubernat, quod cum Gentem extollere destinavit, inusitatam Regibus fortitudinem consiliaque inspirat salutaria, atque optatos largitur successus.

Visa

Visa multis est expeditio in hostilem Regionem ardua ac periculosa: Nonnullis etiam optabatur tanquam certissima Suecis ac Polonis perniciet. Sed gratia DEO Optimo Maximo unde exitium ominabantur, jam salutem demirantur esse enatam.

Quapropter cum tam præsentem Dei manum sentimus, quæ magnum, insolitum ac stupendum hoc opus ad finem perduxit optatum, quare de futuris spem non capiemus lætissimam. Cujus providentiæ Majestatis Vestra Solium adscenderat Polonicum, ejusdem auxilio adversus malevolorum machinationes illud tuebitur ac constabilet.

Quid igitur restat, Serenissime ac Potentissime Rex, nisi ut hanc Tibi felicitatem gratulemur Tibique propriam esse ac perpetuam optemus. Gratulamur Serenissimi Regis Nostri nomine, quod Majestas Vestra in hostili solo pacem invenerat, quam in Polonia sua consequi nequiverat: Imò quod ex hostili solo in Regnum suum reportabit, quod illud reddet quam beatissimum. Fruere isto bono tam excellenti, Serenissime Rex, & fortunâ Tuâ quàm diutissimè. In Tua virtute, moderazione ac sapientia habes, quod Te Civibus earum ac amabilem reddet, hostibus vero formidandum; quod Cives Tibi addictos & cum Te felices efficiet.

Gratulamur simul inclytæ Genti Polonæ & Universæ Reipublicæ Sidus exortum esse, ad cuius cynosuram quassa diu ac tot procellis jactata Reipublicæ Navis portum intrabit tutum ac tranquillum. Videtur illa jam denuo nasci, postquam liberata externo jugo pristinum recuperabit Statum, postquam Te Regem acceperat, sub cuius auspiciis unita lacertos iterum movebit, acceptamque a majoribus gloriam asferet. Sub Te restituta videbit, quæ convulsa hæctenua doluerat, avitamque libertatem, cui ipse innutritus fueras, iterum reflorescere.

Ita felicitas, Rex Serenissime, quæ Tibi Gentique Tuæ contigerat, Sacræ Regiæ Majestati Domino Nostro Clementissimo tanto majorem adfert voluptatem, quod consecuta jam sit, quod votis expetiverat ardentissimis. Bellum cum Amica Republica habere noluerat, cum qua tamen per artes invidorum bello propè collisa fuerat. Præoptaverat antiquum cum illa conservare fœdus, quam naturalis ratio cum Regno Sueciæ ita conjungit, ut non possit illa periclitari, nisi hoc in discrimen simul adducatur. Hujus voti finem jam se affectum sperat, postquam Respublica Polona ab Amicissimo Principe regetur, cum quo fidam, tutam ac securam colere possit vicinitatem. Tuam Amicitiam, Serenissime Rex, cunctis præfert triumphis: Quæ dum frui potest integra ac libata, satis lucri ex hoc bello, satis gloriæ ex tot Victoriis se reportasse existimabit.

Nos vero, Potentissime ac Serenissime Rex, quibus iste honor contigit, ut hanc Serenissimi Regis Nostri in Te & Rempublicam Polonam voluntatem testaremur; felices nos reputamus, quod coram Majestate Vestra in tali causa hodie compareamus, quæ regnis Sueciæ ac Poloniæ æquam adportat lætitiâ, commune decus & mutuam emolumentum. Renovamus igitur vota, quæ Regio nomine modo nuncupavimus, ut populum Tibi commissum felix quam diutissime regas utquæ sub Te Populus Tuus quam felicissime vigeat floreatque. Quæ humillima vota nostra si benigno respicere vultu Majestas Vestra dignetur, nihil ad summam felicitatis nobis deesse existimabimus.

Illustrisfimi Domini Olai Hermelini, Sacrae Regiae
Majestatis Sueciae Status Secretarti Responsio ad Illustrisimos
ac Excellentissimos Legatos Sacrae Regiae Majestatis Poloniae
cum illorum e numero Dominus P. Io. Cancellarius Comes Szczu-
kaob conciliatam Pacem Sacrae Regiae Majestati Sueciae gratias
ageret Al. Ranstadæ die 17. Novembris MDCCVI.

CUM Sacra Regia Majestas ab eo tem-
pore, quo Poloniae fines primum intra-
bat, non aliud animo agitasset, quam ut
Rempubicam Polonam ab externorum
vindicaret Dominatione, & sibi & Rei-
publicae gratulatur, quod pacificatione nu-
pera hunc voti sui finem attigisset. Rei-
publicae propterea, quod stabilitum jam
habet Solium Serenissimi Regis Sui, cujus
virtute ac prudentia vulnera, quae intesti-
na haecenus infixit discordia, sanare que-
at, collapsamque restaurare libertatem:
Sibi vero idcirco jucundam hanc esse Pa-
cem affirmat, quod hoc Pacto Rempubli-
cam in eo Statu esse collocatam sperat, ut ve-
terem cum illa amicitiam tuto colere pos-
sit, eamque sibi arctiori adstringere vincu-
lo

10. Est hic unicus fructus quem Sacra Re-
gia Majestas expetit & capit ex tot victori-
is Divinitus concessis, ex tot laboribus ac
periculis, quæ bello hoc sustinuerat. Quæ fe-
liciter hæctenus cesserant, fiduciam addunt,
reliqua lætum quoque habitura exitum: Po-
loniamque compositis turbis quæ eam ali-
quamdiu exercuerant, tranquillam sub hoc
Rege fore, pristinumque decus ac robur
recuperaturam. Quod suarum Partium
illuc omnes vires & Consilia porro inten-
det, fidumque Socium ac amicum se præ-
stabit, donec in salvo Rempublicam vide-
at esse positam. Hoc esse constantissimum
suum propositum testatur, de quo cupit,
ut cum Serenissimum Regem suum, tum
Inclitos Reipublicæ ordines, certiores face-
re velint Illustrissimi Legati, sibi que simul
persuadere, quod eorum Personas, qui
honorifica hac Legatione functi sunt
omni gratia, ac favore Regio
prosequatur.

